



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Liber 8. De Persona Patris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)



LIBER OCTAVVS DE PRIMA PERSONA DIVINITA- TIS, QVÆ EST PATER.

Repeditis omnibus, quæ aliquo modo tribus personis communia sunt: Solum superest, vt de singulis in particulari dicamus. Dicemus autem de vnaquaque illa tantum, quæ illi sunt propria. Quia vero hæc propria in relatione sunt posita, vix possunt disputatione seiungi, quia relatiua sunt simul cognitione, præsertim cum distincte cognoscuntur. Curabimus nihilominus de singulis ita differere, vt vniuscuiusque proprietates per se intelligantur, quamuis exacta omnium cognitio ex omnium simul cognitione expectanda sit. In hoc ergo libro de prima persona solum ea dicemus, quæ possunt aliquo modo intelligi absque secunda, reliqua vero in sequentibus libris consummabimus.

CAPVT I.

Virum Paternitas sit prima proprietatis Patris, & vnde illi conueniat.

*Resolutio
questionis
quoad prio-
rem partem.*

1. **D**E priori parte huius questionis nihil fere superest dicendum: constat enim ex dictis in præcedenti libro, Paternitatem esse primam Patris proprietatem, quia ipsa est, quæ illum constituit in suo esse personali. Declarari etiam potest in hunc modum. Quia in prima persona duæ tantum sunt notiones, vt in præcedentibus ostensum est, scilicet, Paternitas, & Innascibilitas, quarum prior positiua est, vt per se constat: posterior vero formaliter est negatiua, vel potius priuatiua. Et hinc iam habet Paternitas, vt ipsa sit non solum prima, sed etiam vnica proprietatis Patris. Veruntamen etiam si extendamus nomen proprietatis ad innascibilitatem: semper id, quod est positiuum, est prius, & fundamentum priuatiui: ergo Paternitas est prior proprietatis, quam innascibilitas: ergo est omnium prima, quia non est aliud proprium, quod supponat, sed solum id, quod commune est.

2. In secundo ergo puncto explicando, plus difficultatis esse potest. Suppono autem, cum quarimus, vnde sit illa Paternitas, non quæri principium productiuum eius, vera, & reali productione. Quia cum prima persona sit improducta, vt libr. 1. ostensum est, non potest proprietatis eius habere tale principium, neque per veram, & realem processione manare. Vnde in hoc sensu non habet, vnde sit, sed ex se est, sicut diuinitas ipsa. Quod ergo quæri potest, solum est, quæ sit ratio, & quasi fundamentum, seu radix virtualis illius proprietatis in Deo ipso. Ad eum modum, quo dicimus vnum attributum esse rationem alterius, vt voluntatem, verbi gratia, conuenire Deo, quia intellectualis est.

3. Opinio.

In hoc ergo sensu dixit Bonauentura in i. distinctione 27. proprietatem illam conuenire Patri ex generatione, seu quia generat, ductus tantum argumento ex creaturis desumpto. Hæc verò opinio iam reiecta est in dictis superiori libro capite 6. Repugnat

etiam priori assertioni hic supposita, quia si Paternitas conueniret Patri ratione alterius attributi notionalis, proprii illius, quale est generare, iam non esset prima proprietatis, vnde conueniat Patri generare, quia non potest conuenire ratione solius essentiae nude sumptæ, quia illa non generat, nec per se sola est sufficiens, generandi principium, ergo debet supponi terminata aliqua proprietate, ergo vel debet Bonauentura aliam proprietatem in prima persona concedere, quod non potest, nec facit, vel illud eius assertum non potest consistere.

Secunda opinio est, quæ assignat pro ratione, & fundamento Paternitatis ipsum intelligere essentiale. Dicunt enim aliqui, Diuinitatem prius ratione, quam determinetur ad personas esse per se intelligibilem, & se ipsam actu intelligere, & comprehendere. Et ex hoc actu intelligendi aiunt, pullulare Paternitatem, non secundum rem, sed secundum rationem, modo explicato. At denique addunt, ipsum intelligere sic terminatum per Paternitatem, & notionalem effectum, esse rationem emanationis realis Filij à Patre. Hanc sententiam non inuenio in antiquis auctoribus, sed solum in quodam Moderno, apud quem diligenter quaesivi aliquod fundamentum eius, & nullum inueni. Videtur autem hic auctor, & ingeniosus, & doctus voluisse rationem aliquam fundandi relationem illam in Deo inuenire, nullamque magis accommodatam, quam intelligendi actum reperisse. Quia hæc relatio constituit principium productiuum per intellectum, ergo verisimile est, consequi suo modo ex actu intelligendi. Item, desiderare potuit rationem aliquam assignare: cur hæc relatio prius coniuncta sit diuinitati, quam qualibet alia, nulla autem ratio magis accommodata dari posse videtur, quam quia operatio intellectus est omnium prima, & talis relatio ad actum intelligendi dicto modo consequitur. Denique nonnullum argumentum sumi potest ex spiratione actiua, nam illa consequitur actum diligendi Dei, vt infra videbimus, ergo verisimile est, Paternitatem consequi ad actum intelligendi.

Aliqui vero impugnant hanc sententiam, quia intelligere essentiale in Filio etiam inuenitur, & in eo non est ratio, vel fundamentum talis proprietatis, ergo neque in prima persona esse potest. Hæc verò ratio nimium probat, aut nihil. Concludet enim, si quid probat nullam rationem, vel quasi radicem illius proprietatis assignari posse. Quia vel illa est aliquid commune, & essentiale, & quicquid illud esse dicatur, contra illud procedet dicta ratio, quia illud in Filio inuenire necesse est, vel est aliquid proprium, & hoc esse non potest ante primam proprietatem. Negare autem omnem rationem, vel quasi radicem illius proprietatis, non est rationi consentaneum, quia omnis natura est aliquo modo fundamentum, & ratio suæ personalitatis. Vnde facile posset responderi, negando contentam sequentiam. Quia intelligere essentiale prout est in Filio

STVA
IN
D
D

Cap. I. De primaratione Paternitatis.

Filio supponit paternitatem, vt priorem origine, quasi per immediatam resultantiam ab ipso intelligere essentiali: & ideo iam non habet in ipso locum talis resultantia, quia hæc relationes non multiplicantur numero.

6. *Difficultas circa opinionem.* Quod ergo in illa sententia mihi est difficile, solum est, quia personalitas naturæ non sequitur ex operatione quoad intrinsicam resultantiam à natura, licet per operationem producat, seu comparatur, vbi persona producta est. Alioqui potius supponitur ad operationem, quia actiones sunt suppositorum, vel saltem subsistentium, vnde si (vt multi opinantur) diuina essentia non est subsistens ante primam personalitatem, nec proprie intelligens præconcipi debet, sed vt natura, quæ est principium intelligendi, & nihilominus, vt sic etiam concipitur, vt sufficiens ratio, & radix suæ primæ personalitatis. Neque enim ponendum est hoc, quasi dependens à subsistentia essentiali, quia formaliter loquendo, & per locum intrinsecum, vt aiunt, illa subsistentia per se necessaria non est ad subsistentias personales. Præterea, sicut intelligere, ita & velle essentialiter est prius ratione proprietatibus personalibus, quia in vniuersum communia sunt hoc modo priora proprijs, & tamen illud velle, vt sic, non est fundamentum spirationis actiue, neque alicuius proprietatis, vt infra dicam, ergo, & car. Denique ex intelligere, vt sic, solum sequitur, vt representatio rei intellectæ, vel terminus aliquis productus, si iam sit à quo produci possit. Paternitas autem, neque habet rationem representandæ, neque vilo modo comparatur ad intelligentiam, vt terminus: cur ergo dicemus ex illa resultantia etiam secundum rationem? Nam illa resultantia sicut sufficit, ita etiam necessaria est ad veritatem huius causalis, *Quia Diuina essentia se intelligit, ideo terminatur Paternitate*, quia in rigore falsa videtur, quia illius terminationis nulla connexio, vel ratio assignari posse videtur.

7. *Vna res soluta.* Dico ergo, hanc primam proprietatem immediate consequi ad diuinam naturam, hoc solo, quod talis natura substantialis est. Quod probō primo à sufficienti partium enumeratione, quia nullum aliud fundamentum excogitari potest. Secundo ex hoc generali principio, quod vnaquæque natura substantialis est sufficiens fundamentum proximum suæ personalitatis sibi connaturalis, idque iuxta modum existendi illius naturæ in tali persona. Nam si est in illa per creationem, ex vi illius asserti secum suam subsistentiam, idemque cum proportionem est de quacunque alia propria effectione. Et similiter si Personalitas communicata sit per aliam propriam productionem alicuius personæ, necesse est, vt ipsa natura sit formale principium talis productionis, & consequenter talis Personalitatis. Denique si absque reali productione personæ alicuius naturæ sit in illa immediate, & per se ipsam secum afferret talem personalitatem. Ita vero se habet natura diuina respectu primæ personæ & ideo illa est proximum, & sufficiens fundamentum illius primæ proprietatis. Dices, sed cur illa responderi imprimis posset, hanc esse rei naturam, nam cum peruenimus ad primam, & immediatam principia, non oportet rationem aliam querere. Deinde explicari potest hoc modo, nam propter communicabilitatem, & fecunditatem diuinæ naturæ non potuit prima eius personalitas esse absoluta, debuit ergo esse relatiua, & consequenter accommodata incipiæ operationi, & communicationi talis naturæ. Quia igitur natura illa essentialiter intellectualis est: ideo prima communicatio eius intellectualis etiam est, & ideo etiam prima personalitas talis est, qualis ad communicationem per intellectum erat necessaria. Atque hoc sensu, quia intelligere Dei est eius essentialiter, & quasi ratio constitu-

tiua essentia diuinæ in ratione talis naturæ, dici, ac verificari posset, proprietatem hanc sequi ex natura diuina, vt intelligente, non tanquam terminum ex operatione, sed tanquam personalitatem accommodatam naturæ habenti talem relationem essentialem.

8. *Occurrit argumentum.* Neque contra nos procedit obiectio, quam alij faciebant contra superiorem sententiam. Quia licet eadem natura diuina sit in Patre & in Filio, tamen aliter, & aliter. Et ideo in vtroque quidem est fundamentum vtriusque personalitatis, diuerso tamen modo: in Patre quidem sine productione, in Verbo, vt communicata per productionem Verbi, quem ordinem talis essentia ex sua intrinseca natura postulabat propter fecunditatem suam.

9. *Ad fundamentum.* Ad fundamenta item à nobis insinuatam pro eadem sententia, ne contra nostram fiant, responde- re facile possumus. Ad primum, dicimus primò, in his subsistentibus relationibus non esse semper necessariam rationem fundandi, vt supra tractatum est. Dicimus deinde, ipsammet naturam diuinam, vt est in tali gradu substantialis naturæ constituta, esse sufficientem rationem fundandi hoc modo illam relationem, nimirum, tanquam virtualemente radicem eius.

10. Ad secundum dicitur, sufficientem rationem reddi, cur hæc proprietates sit per se immediate coniuncta, & quasi dimanans à diuina natura, quia illa natura debuit necessario habere aliquam personalitatem primam, quæ non potuit esse absoluta propter fecunditatem illius naturæ. Quod ergo natura illa secum afferat aliquam personalitatem, sufficiens ratio redditur ex eo, quod substantialis natura est: quod verò afferat personalitatem relatiuam, ratio optime redditur ex eo, quod illa natura non vni tantum personæ, sed multis communicabilis est, media reali productione aliquarum personarum: quod tandem immediate afferat personalitatem relatiuam talem, vera ratio videtur, quia natura illa postulat communicari per modum naturæ, prius ratione, quam per modum amoris, & ideo secum afferit immediate personalitatem, quæ suo modo possit esse immediate principium generationis. Et quia hoc habet illa natura, quia essentialiter est intellectualis per essentiam, quæ ratio prior est in illa quam amoris: ideo dici potest, quod intelligere per essentiam est ratio illius personalitatis, vt suo modo complet principium quod generandi, non quidem vt terminus resultantis ex intelligere, vt est operatio quædam, sed tantum vt personalitas consequens naturam, cuius veluti vltima differentia est ipsum intelligere per essentiam.

11. Ad 3. de spiratione actiua responderetur potius posse argumentum retorqueri, vt insinuauimus, quia ex velle essentiali, vt omnem originem antecedere intelligitur, nulla personalitas resultat distincta à paternitate, vt est certissimum. Ipsa vero paternitas eatenus dici posset consequi ad illud velle, in quantum illud etiam velle est ipsum esse essentialiter naturæ diuinæ, licet non tam formaliter (nostro modo intelligendi cum fundamento in re) sicut intelligere. Et ita est vera, quod illa proprietates prima, quam immediate, & ex se afferit secum natura diuina, sequitur ex illa natura secundum totam fecunditatem suam, quæ & intellectum, & voluntatem complectitur. Vnde persona constituta per illam personalitatem est de se sufficiens principium in suo ordine cuiuscunque communicationis illius naturæ. Et ideo illa natura immediate, & sine productione reali alicuius personæ, nullam aliam proprietatem personalem secum afferit. Imo nec aliquam aliam relationem sub quacunque ratione spectatam. Nam spiratio actiua non sequitur hoc modo ex essentia, vt infra videbimus: nec est eadem ratio de illa, quia nec est ex se subsistens

subsistens, vel ratio subsistendi: nec est per se necessaria, vt conditio antecedens ex parte principij ad aliquam productionem, vt libro decimo tractabimus.

12.
Prima opini
oni satisfi.

Denique (vt Bonauentura satisfaciamus) ex his etiam intelligitur primo, quomodo verum sit quod supra dixi, proprietatem hanc non fundari in origine Filij, neque esse in Patre, quia generat, sed vt generet, vel vt sit aptus ad generandum. Tamen quia in aeternis idem est posse, & esse, ideo Pater habet hanc proprietatem actualiter generando absque alia proprietate in re, praterquam originis respectu Filij, vel rationis respectu actionis, seu actiua originis. Intelligitur secundo, quomodo haec proprietates, non tantu secundum esse in, vel secundum aliam communem rationem, sed etiam secundum omnem propriam, quatenus in re est, antecedit origine ipsum Filium, quia immediata, & per se est coniuncta cum ipsa essentia, vt talis est, processio autem Filij non est, neq; intelligi potest, donec essentia sit terminata hac prima proprietate, quia processio debet esse a persona, non ab essentia. Tertio intelligitur hanc proprietatem esse fundamentum innascibilitatis, quod in seq. cap. explicandum superest.

CAPVT II.

Vtrum esse ingentium sit altera proprietates primae personae.

1.
Ingenitii ap-
pellatio Ca-
riolica.

De hac voce, *Ingenitum*, olim dubitatum fuit, quia haeretici Arriani, & sequaces significatione illius abutebantur ad concludendum, diuersam esse substantiam Patris, & Filij. Quibus antiqui Patres imprimis respondebant, se non cogi ad illam vocem admittendam, quia in Scriptura non reperitur Patri attributa. Non quia sentirent, nullam vocem in Scriptura non inuentam, vsurpandum esse in hoc mysterio, nam potius in hoc ipsi damnabant Arrianos, sed ex proprijs, & quasi ad hominem illos reprehendebant, eo quod illo titulo vocem *Consubstantialitatis*, non admitterent, & ad impugnamdam veritatem, nouas voces inuenirent, vt egregie tractat Ambrosius de Incarnationis Dominicae Sacramento, c. 8. & 9. Athanasius oration. 2. contra Arrianos, & in Epist. de decretis Nicænae Synodi, & in alia epistola de synodo Ariminensi, & Seleuciano. Vnde recte Idacius Clarus l. contra Varimandum circa principium. *Patrem ingentium esse, nec prodehere possit, nec probare* (scilicet, testimonio Scripturae, in quo habeatur) *sed quia id ipsum fides exigit Christiana, absque vlla dubitatione ingentium creditur.*

2.
Ingenitii ap-
pellatio quo-
modo Patrie
propria.

Veritas ergo certa est, *Ingenitum* esse proprium attributum notionale Patris. Ita docent Concil. Tolet. 6. & 11. & Concil. Vormaciense in confessionibus fidei, Damasus in expositione fidei ad Hieronymum, Hilarius 4. de Trinitate prope finem, & libro 9. vbi vsitur nomine *innascibilis*, quod est frequentius apud Scholasticos. Item Augustinus libro quinto de Trinitate, capite sexto & septimo, & libro 15. capite 6. libro etiam octoginta trium quaestionum, quaestione sexta. Fulgentius optime ad 7. obiectionem Ariano- rum, vbi dicit, secundum fidem hoc negari non posse. Idem habet Basilius libro 1. & 2. contra Eunomi- um, vbi etiam vsitur nomine *innascibilis*. Idem Athanasius locis citatis, Cyrillus in compendiarie fidei expositione in tomo 4. Bibliothecae, vbi ait, *Patrem dis- ferre a Filio, quia ille ingentius, hic autem genitus*. Quod etiam habet Anastasius Synata in libro 1. de rectis fidei dogmatibus. Sic etiam Nazian. orat. 23. *ingentium* vocat proprietatem Patris characteristicam. Idem orat. 36. in sancta lumina, & optime Damascenus libr. 1. c. 8. & sequentibus.

Vt autem res declararetur, distinguendae sunt significationes huius vocis, quas Athanasius attigit supra, & nos in superioribus tres innumerauimus. Primo enim *ingentium* dicitur quicquid creatum non est, & genit. hoc modo vsurpabant hanc vocem Arriani, errabant tamen tribuentes illam in hac significatione Patri, vt propriam eius, vt inde concluderent, Filium esse *genitum*, id est, factum vel creatum, cum tamen hoc modo vox illa essentialis sit, & que conueniens Filio, ac Patri, vt prater dictos sancto notauit Epiphanius haeres. 73. Secundo accipitur, vt solum negat propriam generationem. Et sic etiam non est propria Patris, sed Spiritui sancto etiam conuenit, nam *genitus* non est, vt in Symbolo Athanasij dicitur. Et ita vsurpauit vocem illam aliquando Epiphanius, vt notauit Ioannes Theologus in Concilio Florentino, session. 18. circa principium, eo denique modo videtur etiam loqui Nazianzenus orat. 35. numero 36. Sic etiam Augustinus 5. de Trinitate, capite 6. dicit, *ingentium* aliquando. Idem ex Hieronymo notauit Magister in 1. distinct. 13. & D. Thom. 1. part. quaestione 33. articulo 3. ad 2. Tertio *ingentium* significat id quod nullo modo nec per creationem, nec per quamlibet aliam productionem realem productum est. Et sic vsurpatur in praesenti, ideoque ita Patri tribuitur, vt non solum de Filio, sed etiam de Spiritu sancto negetur, vt in dicto Concilio Toletano 11. expresse declaratur, & notauit etiam Iustinus Martyr in expositione fidei, Cyrillus Alexandrinus 1. Thefauri capite secundo, & tertio. Et sic etiam dixit Nazianzenus supra, *genitum & ingentium non esse immo- diate opposita*, quia neutrum de Spiritu sancto dicitur. Quod ideo est, quia non cum proportionem sumuntur: nam *genitum* iuxta communem vsum non dicitur de quoocunq; procedente quouis modo, sed per propriam generationem, *ingentium* autem dicitur quod nullo modo procedit, & ita plus negatur per *ingentium* quam per *genitum* affirmatur, & in hoc sensu neutrum Spiritui sancto conuenit.

Dices etiam hoc modo *ingentium*, non esse proprium Patris, nam conuenit Deitati, seu huic Deo, vt à vocantur personis abstrahit, à nullo enim productus est. Ad hoc vero iam est in superioribus responsum ex D. Thom. supra ad 2. *ingentium* posse sumi negatiue tantum, & sic conuenire etiam Deitati, & non esse proprium Patris: alio autem modo sumi priuatiue, non quatenus priuatio dicit carentiam alicuius positum, quod deberet in esse Patri, sed quod conuenire possit illi, non quatenus Pater est, sed quatenus persona diuina est. Sic igitur, *ingentium* dicit carentiam alicuius proprietatis, quae potest conuenire personae diuinae, quatenus persona diuina est. Aliquando enim priuatio dicit carentiam in subiecto apto, non in indiuiduo, sed in specie, vel genere, atque hoc modo illa priuatio est propria Patris. Addere etiam possumus, quod, licet hic Deus secundum se sit *ingentius*, non tamen repugnat illi esse aliquam personam *genitam*: nam hic Deus est Filius, & Spiritus sanctus. Pater autem ita est *ingentius*, vt nullo modo *genitus* esse, aut dici possit, atque ita haec notio est propria Patris.

Dubitant autem vltius Scholastici, an haec vox *Dubitant* formaliter dicat negationem, seu priuationem tantum, an etiam posituum aliquid? Fuit enim antiqua opinio, quam refert Bonauentura in 1. distinctione 28. quaestione. 1. dicens, *ingentium*, significare de formali relationem quandam ad genitorem, vel potius ad *ingentorem*. Dicebant enim auctores illius opinionis, sicut inter quantitates non solum est relatio realis, sicut etiam inaequalitatis, ita non solum relatioem geniti, sed etiam *ingentis* esse realem. Hec vero sententia reprobata est ab omnibus, & merito. Quia vel illa relatio est ad non genitorem vt sic, & ita non habet terminum realem, nec est habitudo, sed potius

potius carentia habitudinis, vel intelligitur esse ad aliquam personam, v.g. ad Filium, vel Spiritum sanctum, quatenus ab illis Pater non generatur: & hoc etiam est friuolum, tum quia (vt recte ait Augustinus supra) esse ingenitum est prius, & in suo conceptu omnino dependens ad hoc, quod aliquid procedat ab ingenito, tum etiam, quia inter homines vnum non esse genitum ab alio non est respectus realis.

6. Dicendum ergo est, de formali significari tantum illa voce priuationem omnis originis realis. Ita D. Thom. d. q. 33. art. 4. & in 1. dist. 28. q. 1. artic. 1. ad 1. Idem tenet Scotus ibi q. 2. Capreol. q. 1. art. 1. Caiet. & Thomista omnes. Solum autem Bonaventura citari in contrarium, sed immeritò, vt patet ex q. 1. 2. & 3. vbi solum ait, *Ingenitum de formali dicere negationem, fundamentaliter vero aliquid posituum.* Quod etiam habet Durand. ibi q. 1. & alij non negant, nec negare possunt. *Latim dicam.*

7. *Alli* ergo de significato formali, quod priuationem, ex dictis evidens est, & declaratur in dicto Concilio Toletano in his verbis, *Si modum, quo Pater consistit, querat cum eum à nullo alio ortum videat, ingenium appellabit*: Sic etiam Basiliius 5. contra Eunomium circa hanc inuenit, *ingenium, inquit, quod natum non sit, demonstrat.* Idem expresse habent Epiphanius & Augustinus supra, & ratione constabit ex dicendis, quia non potest aliter hæc notio à Paternitate distingui. Quod verò Bonauent. & Durand. addunt de fundamento posituum: negari etiam non potest. Quia hæc priuatio non solum actum, sed etiam capacitatem originis negat in tali persona, vt talis est, & ideo necessario, & ab intrinseco illi conuenit, omnis autem negatio, vel priuatio hoc modo rei inconueniens fundamentum habet in propria eius perfectione: ergo hoc fundamentum etiam reperitur in prima persona respectu talis priuationis. Neque in hoc est difficultas.

8. Sed nonnulla est in explicando, quod sit hoc fundamentum. Aliqui enim concludunt, esse posituum quandam rationem, seu formalitatem in Patre inuentam, & distinctam ratione ab essentia, & à paternitate, quam dicunt circumscribi à nobis per illam negationem. Ratio est, quia hæc vox indicat specialem primæ personæ dignitatem, ratione distinctam à dignitate Patris, illa autem dignitas non potest consistere in sola negatione, quia negatio vt sic nullam perfectionem importat: ergo consistit in fundamento illius negationis: ergo est aliquid posituum, ratione distinctum à paternitate, & essentia. Maior probatur, quia alias innascibilitas non esset notio distincta à paternitate. Quod si inquiratur, quid sit illud posituum, respondent, esse rationem primi principij, seu fontalis plenitudinis, vt ait Bonauentura supra, & dist. 24. quaest. Confirmatur hæc sententia ex Patribus, qui aliquando dicunt, ingenium significare modum existendi primæ personæ, vt videre licet in Basil. 4. contra Eunomium, c. 2. Nazianzeno orat. 23. Damasceno lib. 1. de fide cap. 9. Cyrillo lib. 1. Theauri c. 4. modus autem existendi posituum quid sit.

9. Longe tamen verior est sententia D. Thomæ supra, quam rota eius schola sequitur. Innascibilitatem formaliter consistere in priuatione, pro fundamento autem nihil aliud dicere, nisi paternitatem, vel ad summam paternitatem simul cum actiua spiratione. Quod sufficienter demonstratur hac ratione. Quia in Patre nihil posituum est, nisi essentia, vel relatio: ingenitum autem, vt sic, non fundatur in sola essentia, quæ communis est, & in qua sola non intelligitur innascibilitas per modum priuationis, vt dixi. Vnde licet essentia possit dici radix innascibilitatis secundum rationem, quia ab illa quasi manat proprietates, ratione cuius persona est innascibilis, iuxta dicta capit. precedenti, non tamen Suarez: de Deo trinituno.

est proprium, & quasi formale fundamentum innascibilitatis, ergo necessario debet esse relatio. Secundò declaratur in hunc modum, quia paternitas ex intrinseca ratione sua habet, quod sit ante omnem originem, quia constituit principium primæ originis, ante quam non potest esse origo, ergo ex propria ratione habet constituere personam sine origine ab alia, hoc autem est esse fundamentum innascibilitatis.

Tertiò destruendo fundamentum, seu declarationem alterius sententia. Cum enim dicitur, illud posituum esse rationem primi principij, duo ibi includuntur. Vnum est ratio principij, & hoc sine dubio posituum est, tamen, vt recte dixit Augustinus supra, hoc non explicatur nomine ingeniti, nam licet aliqua persona non esset genitor, nec principium, posset esse ingenita, si non esset ab alio, quia hæc vox significat, quid non sit, non autem quid sit. Deinde, vt addit Diuus Thomas, etiam si ingenitum aliquo modo dicat rationem principij, saltem pro fundamento, illa ratio non est distincta à ratione Patris, vel spiratoris, vel si sumatur confusa abstractendo ab vtraque, sic non pertinet ad notiones, vt supra tetigi, & iterum dicam capit. sequenti. Alterum ibi inclusum est ratio primi, & hoc si dicat habitudinem, ad secundum, non est aliud in Trinitate quam esse Patrem, si verò dicat habitudinem ad priorem, sic non dicit posituum quid, sed negationem prioris, ergo nihil posituum relinquitur ratione distinctum, quod significari possit pro tali fundamento.

Dicunt verò aliqui, illud quidem fundamentum esse posituum, & relatiuum, non ratione reali, sed rationis. Est tamen improbabilis fuga, & non sibi constans. Quia relatio rationis non dicit maiorem dignitatem, quam priuatio: si ergo propter dignitatem negat priuationem, cur illam ponunt in relatione rationis? Quod si dicant non relationem rationis formaliter sumptam, sed fundamentum eius pertinere ad dignitatem, de illo fundamentum redibit quaestio, an sit sola paternitas, vel aliquid aliud reale: hoc enim posterius neque ab eis admittitur; si autem dicatur prius recte concluditur, ingenitum pro fundamento nihil aliud, præter paternitatem habere. Et præterea illa relatio rationis, vel est ad alias personas, & hoc non, quia ingenitum, vt sic, concipitur, vt abstractens à respectu ad personas procedentes, vel est ad personam priorem, & sic relatio illa supponit negationem prioris, tantum abest, vt possit esse fundamentum eius.

Ad rationem autem alterius sententia: responsum est lib. 5. capit. vlt. vbi ostendimus, cur hæc priuatio constituatur, distincta notio, quamuis non dicat posituum aliquid à paternitate distinctum. Nihilominus tamen verum est, quod D. Thom. dixit, notionem hanc ad dignitatem pertinere, quia per illam negationem explicare intendimus. Primæ personæ dignitatem: dicimus autem hanc dignitatem non esse aliam à Paternitate ipsa. Quæ nostro modo concipiendi, ex vi suæ rationis duo includit. Vnum est, quod per se, seu à se sit, per immediatam coniunctionem cum essentia, prout explicauimus cap. precedente, & hoc declaramus per hanc negationem. Alterum est, esse constitutum principij generandi, quod Pater nominatur.

CAPVT III.

Virum sit proprium primæ personæ, esse principium Deitatis.

Hæc locutio est frequens apud Patres, & nonnullam habet obscuritatem, & ideo explicanda est, simulque declarabimus alias locutiones, vel attributa, quæ de Patre dici solent. Reperitur ergo illa

10. *Basilii fundamentum aliorum opinionum. Gradatius.*

11. *Evasio pro ducitur.*

12. *Ad rationem*

De fundamentis illius priuationis.

Vna sententia.

illa locutio apud Dionysium cap. 3. de diuinis nominibus, vbi Patrem vocat *fontem celestis diuinitatis*. Ita etiam loquitur August. 4. de Trinitate capit. 2. circa finem, & Athanas. orat. contra Gregales Sabellij. Item Concil. Toletan. 11. in confessione fidei vocat *fontem, & originem totius Deitatis*. Idem Concil. Florentin. sess. 24. in literis vnionis. Difficilius Concil. Vormaciense in confels. fidei Patrem vocat principium totius Trinitatis.

2.
Difficultates circa 2.
primam.

Duo ergo explicanda sunt. Primum, quomodo possit Pater esse principium Deitatis, cum Deitas non procedat, nec generetur: aut Trinitas, cum repugnet totam Trinitatem habere principium: alioqui esset ab illo distincta, nam principium, & quod est à principio, distincta sunt. Secundum est, cur esse principium in diuinitate specialiter attribuat Patri, cum etiam Filius vere, ac proprie sit principium ad intra, vt definit Concil. Florentin. & in sequentibus late videbimus.

3.
Ad primam difficultatem.

Ad priorem partem respondent D. Thom. & ceteri Theologi, Patrem non appellari principium Deitatis, eo quod ipsam Deitatem producat, sed quia Deitatem communicat. Vnde nomen Deitatis, in illa locutione positum, non significat proprium terminum relationis principij, vt constat, quia ille terminus debet esse realiter distinctus à principio, sed significat formalem terminum, seu naturam, in qua tale principium sese communicat. Ita fere exponunt Magister, & cum ipso alij Scholastici in 1. d. 29. Qui dicunt, Patrem vocari principium totius Deitatis, quia est principium omnis personæ, cui per originem communicatur diuinitas. Principium autem Trinitatis dicitur, non quia tota Trinitas, aut omnes eius personæ ab eo procedant: hoc enim plane falsum est, vt ratio facta probat, sed quia multiplicatio personarum Trinitatis ab illo ducit originem. Est ergo principium Trinitatis, non conditum ab illa, sed in ea inclusum, tanquam prima persona, quæ est aliarum fons, & principium. Inter has autem duas locutiones, hæc posterior minus vitata est, & ideo non est vsurpanda, vel clarioribus verbis explicanda est. Prior verò adeo iam vulgaris est inter Patres, & Theologos in hac materia, eiusque sensus ita ex vsu declaratus est, vt licet in rigore verborum videatur habere aliquam improprietatem, sine scrupulo vsurpari possit.

4.
Ad secundam difficultatem.

Ad alteram partem propositam respondendum est ex doctrina Patrum, Principium generaliter sumptum non esse proprium attributum Patris, vt ratio facta probat, & sumitur ex cap. Firmiter, de summa Trinitate, & Augustino 15. de Trinitate, cap. 13. Nihilominus tamen esse principium sine principio, seu esse principium primum in illo ordine, est Patri proprium. Nam Filius est principium de principio. Item Filius est principium tantum vnus processionis. Pater autem est principium vniuersale in illo ordine, scilicet omnis processionis, quæ intra Deum esse potest.

Vnde ad hoc significandum vocant etiam sancti primam personam *fontem Deitatis*, & Bonauentura loco supra citato dixit *meo esse fontalem plenitudinem*: nam fecunditas diuinæ naturæ in illo est per se, & sine dimanatione: & ideo in illo est ad omnem actum illius fecunditatis: in Verbo autem est per processionem à Patre, & ideo non est ad omnem productionem ad intra.

Hoc etiam solius explicant sancti nomine Originis tribuentes Patri, quod sit *Origo personarum*, vt videlicet in Concilio Toletano 6. in confels. fidei. Ibi autem origo non sumitur pro ipsa processione, vt apud Scholasticos accipi solet, sed pro Principio primo omnis processionis. Hinc etiam Chrysostomus orat. 9. in fine, 5. tom. Patrem vocat *Radice[m] sancti illius fructus*. Augustinus 3. contra Maxim. capit. 14. vocat *Auctorem*. Quam vocem interpretans Diuus Thomas quæst. 33. articul. 1. dicit, idem significare, quod principium primum. Verum est, Hilarium 2. & 4. de Trinitate etiam Filium vocare *auctorem Spiritus sancti*. Et ideo Phebadius libro contra Arianos, Patrem vocat *auctorem sine auctore*. Denique idem sensus Bonauentura in 1. distinct. 29. articul. 1. quæst. 1. ad 2. de hac voce *Initium*, nimirum, si sumatur pro primo principio, tribui posse Patri. Tamen quia illa non est propria, & vitata significatio illius vocis, nam magis videtur significare durationis, aut existentiam initium, ideo cauenda est: nam potest generare suspectum sensum. Vnde Concilia potius negatiue loquuntur dicentia, diuinas personas non habere initium sui esse. Quod etiam ex Hilario 4. de Trinit. notarunt Magister, & D. Thom. in illa dist. 29.

Ex quibus omnibus constat, per omnes has voces non significari nouam proprietatem, vel notionem Patris. Quia per illa omnia attributa solum manifestatur, vt Primum principium intra Deitatem. Nomine autem principij significari potest, aut ratio generalis confusa, & hæc non numeratur inter notiones, vel proprietates, vt constat ex dictis lib. 5. aut significari potest principium particularium processionum, & sic nihil dicit præter paternitatem, & ad summum complectitur spirationem actiuam. Quod autem additur primum solum notat carentiam originis, quæ per *inmascibilitatem* declaratur, vt dixi. Posset autem hic tractari, an hoc nomen, *Principium*, analogum sit in Deo, vt dicitur ad intra, & ad extra, vel etiam vt dicitur ad intra de Patre, & Filio. Sed hæc res est parui momenti, & priorem partem sufficienter tractauimus in primo tomo, Metaphysice disp. 1. de causis. De posteriori dicam aliquid infra in fine capit. 7. libri 10. De analogia verò huius vocis *Pater*, dicam libro sequenti disputando de Filio. Denique de nomine *Causa*, an possit Patri attribui ad intra dixi supra 1. libro, & ideo de prima persona hæc sint satis.

Finis Libri Octauo de Trinitate.

INDEX